

Præstantissime GÜNTHERE, majoris esse prudentiæ, hoc spēcimine Tuō, eruditō illo atq; utilissimo, clarissimè demonstrasti. Statum nimirū Christianismi statibus animalitatī & humanitatī comitem imò ducem associasti; hos nimirū ē ratione cognoscens & depromens, illum verò ē Theologia eā, quā decet, circumspēctione, in modum præsuppositorum decenter mutuatus. Præterea, de omnibus, quid sint & quo differant modo, in Capite primo distinctè dixisti, horumq; omnium in moralib; usum in secundo perspicue subjecisti; ostendens sic, piè simul atq; doctè doctrinas Christianæ Philosophiæ per tractari posse. Quid faciam ego, quām ut applaudam Tibi publicè, priscumq; illud acclamem animitus: Feliciter!

C. B. D.
C A P. I.

De

Discrimine trium horum Statuum.

T H. I.

IN Scholis Physiologorum illud non minùs ἀρχαῖον quām πολυθρύλλον: Hominem primum vitam plantæ, deinde bruti, tandem hominis vivere, passim auditur, eoq; triplex noster Status, pro diversis tribus temporib; nervosè indicatur. Primō nimirū vitæ nostræ tempore, maximè, quāndiu intra uterum maternum adhuc delitescimus, instar plantarum crescimus tantū atq; nutrimur, nihil aut parum sentimus; Secundō, quāndo in vitales auras produimus, plura magisq; manifesta sensuum, non æqvè rationis indicia damus, adeoq; in memorem brutorum nos gerere videmur; Tertiō verò id, qvod proprium nobis est, Rationis nimirū opus, tametsi non absq; gradibus, jam minùs, jam magis, edimus, hominumq; titulo nos dignos esse factō ipso probamus.

A 3

T H. II.